



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Q. D. B. V. 20.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE
IVRIS-CONSVLTO
PHILOSOPHO

QVAM
AVSPICIIS
DIVINI NVMINIS
MAGNIFICI
ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
INCLVTA VNIVERSITATE ALTDORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE
HONORES RITE CAPESSENDI
PUBLICAE DISQVISITIONI
EXPONIT

JOANNES BVRCARDVS VVOLFIVS
NORIMBERGENSIS.

AD D. XV Ivnii A. c^{lo} Iocc xxviii.

ЛІСОВАЯ СЛУЖБА ВІДДІЛУ ОХОТНИЧІЙ

СЛУГИ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЙ СЛУГИ
І ДЛЯ ЗАКРІПЛЕННЯ ОХОТНИЧІЇ

ОХОТНИЧІЇ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЇ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЇ
І ДЛЯ ЗАКРІПЛЕННЯ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЇ
І ДЛЯ ЗАКРІПЛЕННЯ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЇ
І ДЛЯ ЗАКРІПЛЕННЯ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЇ

СЛУЖБА ОХОТНИЧІЇ
І ДЛЯ ЗАКРІПЛЕННЯ

SACRI ROMANI IMPERII
PERILLVSTRIS AC LIBERAE
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
SENATI
SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS
ATQVE PRUDENTISSIMIS DOMINIS,
DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
SCHOLARCHIS
RELIQVISQVE
SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

BENIGNISSIMIS

DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS

PERQVAM GRATIOSIS

PRIMITIAS STVDIORVM SVORVM

PRO IMPETRANDO SIBI PATROCINIO

TUTELARI ET FAVENTE CLEMENTIA

EO QVO PAX EST OBSEQVIT ET VENERATIONI EQUITV

CIBORIUM HOC

EXCELSA MUNERA DEDICAVIMUS

EXCELSA MUNERA DEDICAVIMUS

AVCTOK.

CIBORIUM HOC

EXCELSA MUNERA DEDICAVIMUS

EXCELSA MUNERA DEDICAVIMUS

B. L.

SALVTEM ET FELICITATEM.

Sicut status et apparatus rei litterariae reflect imaginem horti culturae, quae nunquam integræ est, quia nusquam inuenit, ubi totius naturæ vegetabilis opes una fede iungere possit, ita desiderium humani intellectus in infinitum abit, semperque novas deproperat edere formas. Non igitur B. L. mihi, uertes uitio, quod hanc materiam ad disputandum pro gradu elegerim, existimanti, neminem ne mediocrem quidem IConsultum se profiteri posse, absque minime longe præstantissimæ philosophiae. Ingenue fateor multa intacta ame relictæ, nec pro dignitate materiae, omnia explicita esse, quia nullum tractatum prolixum conscribere, sed terminos dissertationis publicæ et tam mediocres obseruare uolui. Vale B. L. et conatus nostros iudicio melioris calculi defende.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
IVRIS - CONSVLTO
PHILOSOPHO.

Summa dis-
sertationis.



uum constitutum nobis sit, de ICto PHILOSOPHO aliquid scribere, ac omnis disputatio super hoc argumen-
to futura sit, primum omnium pla-
cet, ante definire, quid sit ius, et
unde primario enatum sit; deinde quid sit ICtvs;
tum quid PHILOSOPHVS; et postremo declarare,
quod iurisconsultus, si iurisprudentiam penitus per-
ceptam habere, ac perfectus iurisperitus euadere
cupit, necesse habeat, philosophiam cum iurispru-
dentia coniungere.

§. II.

*Quid fit ius
in genere.* ius in genere, est norma, secundum quam actio-
nes nostras liberas attemperare obligamur.

§. III.

*Divisiones
iuris.* Est autem ius, uel naturale seu quod idem est
morale*, uel posituum. Posterius est uel diui-
num,

* Inter has, non est essentialis, sed accidentalis tantum
differentia. Reineck. l. 2. cl. 2. c. 2. num. 2. Zepper. tr.
de LL. c. 1. Ius morale scriptum et promulgatum est,
ius naturale autem non aequa. Vtrumque ex dicta-
mine

num, uel humanum. Et ad hoc pertinet ius ciuile. Reliquorum iurium diuisiones, quia de illis hic non agimus, merito praeterimus.

§. III.

IUS CIVILE sunt regulae, secundum quas in societate ciuili priuata, actiones suas attemperare quis Quid si ius ciuile. debet.

§. V.

mine rectae rationis originem trahit, et obligat omnes homines ad ea facienda, quae sui natura honesta sunt, et ad omittenda, quae turpia sunt. Et sic ius morale et naturale non differt. Laut. Coll. Theor. pract. ad tit. v. de Iust. et Iur. §. 28. et Mynf. ibi allegat. Hoc ius naturale et morale autem differt a reuelato diuino, quod etiam positivum uocatur, et expressa promulgatione, ut legis instar obseruetur, a D E O est publicatum, quale est extra dubium lex Mosaica. Cum uero lex fonsis et ceremonialis solummodo populum iudaicum respexerit, et particularis fuerit, Illust. Buddeus in Inst. Theologiae moralis, P. 2. C. 1. §. 15. non inconueniens erit, paucissimis quaestione hic attingere: An etiam detur lex positiva diuina uniuersalis, a lege naturali siue morali differens? Ita sentire uidetur, maximi nominis Ictus Thomasius in Iurispr. diuina l. 1. c. 2. §. 63. et seqq. dum ius reuelatum uniuersale describit, per legem hominibus, per reuelationem publicatam, ea determinantem, quae necessariam connexionem cum hominis natura rationali non habet. Et Hugo Grotius l. 2. de I. B. et P. cap. 5. §. 8. Vir celeberrimus autem Buddeus in Inst. Theol. moralis P. 2. c. 1. §. 10. et seqq. affirmit quidem, legem dari absolutam i. e. naturalem uniuersalem, ex omnium sententia; legem autem positivam uniuersalem diuinam plane negat Francisc. Budd. Inst. Theol. dogmatica. l. 3. c. 1. §. 12. et l. 3. c. 2. §. 3. Cuicunque autem sententia uerior, aliorum sit iudicium.

§. V.

*Quid ius
naturale.*

IVS autem NATVRALE est, quod natura omnia animalia docuit, definiente Iustiniano in *pr. Inst. de Iur. Nat. G. et Civil. et in l. 1. §. 3. va. de Iust. et Iur.* Quia autem haec definitio nimis est generalis, et non humano generi propria, sed ad omnia animalia, quae in coelo, quae in terra, quae in mari nascuntur, ut in *pr. Inst.* iam allegato, pertinet. Aliam igitur apponamus definitionem, quae soli humano generi competit. Nimirum

§. VI.

*Alia defini-
tio ius. na-
turalis.*

IVS NATVRAE est norma, secundum quam actiones nostras morales liberas, ductu naturae, attemporare obligamur. Esse hoc ius naturale dictamen rationis, in illius disciplina demonstratur.

§. VII.

*Omnis
actiones, ex
nostra na-
tura resul-
tantes, per
se debitae et
illicitae
sunt.*

Actiones nostrae liberae ita sunt comparatae ut semper stipentur consecatriis, uel ad nostram perfectionem, uel ad imperfectionem tendentibus. Iam cum id, quod nos perficit *bonum*, et id quod nos imperfectiores reddit, *malum* dicatur; consecaria actionum uel bona uel mala sunt. Eadem consecaria ex natura nostra aliarumque rerum descendunt. Hinc consecaria actionum liberarum, et actiones ipsae nostrae, liberae sua natura, hoc est per se sunt uel bonae uel malae. Et cum bonitas haec uel prauitas actionum ex ipsa natura nostra aliarumque rerum possit concipi; formula Grotiana in §. 2. *Proleg. de Iur. B. et P.* posito per impossibile &c. haud incommode defendi potest. *Philos. Moral. VVol. f. §. 5. inf.* Quam etiam praeterlapsis aliquot annis uerbofius iam sub praesidio uiri Illust. atque excellentiss. Wilduogelii, demonstrauit, §. 5. Carol.

Carol. Michael Strasberg, *in dissertatione sua, quae de font. iuris rom. eorumque usu hodierni inscribitur.*

§. VIII.

Cum ex theologia naturali pateat, omnes naturas et essentias rerum a DEO esse, illam moralitatem actionum, a DEO deriuabit, qui ueritates illas altiores introspexerit, licet illa ita se habeat, ut a quoquis, rationis usu pollente, absque theologia naturali, aequa ac Geometria cognosci possit.

Moralitas
actionum a
quolibet ra-
tione praes-
dicto cognos-
sci potest.

§. VIII.

Repraesentatio boni uel mali, mentem ad aliquid faciendum uel omittendum determinans, est MOTIVVM.

Quid sit mo-
tiuum.

§. X.

Cum autem uoluntas per motiuam, ceu rationem sufficientem excitetur determineturque, per §. 492. & 496. *Met: Wolf.* ut aliquid fiat uel omittatur; fit omnino per repraesentationem distinctam, ut nihil uelimus, nisi id quod bonum sit, & nihil nolimus, nisi id quod malum sit, per §. 6. & 27. *philos. moral. Wolf.* Adeoque haec motiuam naturalia sufficere potuisent, ad nos obligandum, per §. 401. *polit. & §. 8. & 9. in f. & seqq. philos. moral. Wolf.* dum omnes actiones a natura determinatae sunt, utrum eae bonae, an malae sint, per §. 27. *philos. moral. Wolf.* ac proinde leges naturales omnium perfectissimae sunt, per §. iam alleg. quippe quae nos stimulant, ad nihil faciendum, nisi quod nos, nostrumque statum, tam externum, quam internum perfectiorem reddere posit. §. 6. & 12. *philos. moral. Wolf.*

Lex natu-
ralis suffi-
ce potuisse
ad nos obli-
gandum.

§. XI.

*Quia nimis
difficilis est
diadicatio
actionum,
repet. leges
naturalium
necessa erat.*

Ad honestatem uel turpitudinem actionum di-
judicandam insignis saepius rationis usus requiritur
(*philos. moral. Wolf. §. 4. & 23.*) qui cum in
quamplurimis non deprehendatur ob altiorem in-
dagine consequentium , ex hac uel illa actione
oriundorum , adeoque non cuilibet leges naturales
tam clare ante oculos iacent , eamque ob caussam
ampla occasio ad magnas & infinitas discordias fu-
tura sit , nec non etiam iudici , inter partes litigantes
ius dicenti , propter nimias obuenientes caussas ab-
ditas , magna difficultas oriretur , isque insuper fre-
quentius male pronunciaturus esset (*polit. Wolf. §.
401.*) omnino necesse erat , ut illae leges naturales
repeterentur , in republica , certeque determinaren-
tur. per §. iam alleg. & §. 17. *philos. moral. Wolf.*

§. XII.

*Ius ciuale est
ius nat. re-
petitum, et
ad statum
republicae
accommo-
tum.*

Et hanc ob caussam factum esse existimo , quod
ius ciuale ius naturale repetitum appellatum fuerit ,
quantum id quidem status reipublicae permiserit .
Notum enim est , ius ciuale esse ius naturale *I. I. §. 2. in
f. 5. 6. 9. inf. l 10. §. 1. & 2. π. de Iust. & Iur. applica-*
*tum ad homines in republica uiuentes §. 1. I. de I. N.
G. & C. & l. 9. π. de Iust. & Iur.* Quorum indolem
& conditionem si quis paulo accuratius perpende-
rit , haud difficulter cognoscet , cur ius ciuale non
per omnia iuri naturali seruiat , ut sunt uerba Imper-
atoris in *l. 6. π. de Iust. & Iur.* & cur interdum non-
nulla irregularia , e. g. lupanaria de quibus in *l. 21. §.
1. 1. π. de receptis, qui arbitr. & l. 27. §. 1. π. de here-
dit. petit. mentio facta ; item gradus leuiticorum
cap. 18. prohibiti , etiam in nostra ecclesia quandoque
tolerantur , si ipso facto matrimonium est contra-
ctum ,*

Etum, ad euitandum maius scandalum, ueluti in gradu lineae collateralis inaequalis, secundo affinitatis, prohibito *cap. leuit. 20. v. 20.* quales & alii similes gradus interdum quidem tolerantur, non tamen oppido dispensantur re adhuc integra, uti differentiam inter dispensationem & tolerantiam erudite explicuit Joh. Wilhelm Baier Prof. Theolog. Ienensis celeberrimus beate defunctus, in *dissert. de tolerantia & dispensatione graduum prohibitorum.* Innumerae dantur laesiones, quae in republica ad uiuum resecari non posunt, & quae licitae sunt in foro externo, ne iudicia infinitis litigiis distrahantur. Quale exemplum nobis exhibit licita in contractibus laesio usque ad dimidium, qualis circumuentio *επιτροπῶν* facta dicitur, quae uenit ex studio carius uendendi et uilius emendi, sed tamen absque proposito decipiendi, *Nou. 97. c. 1. § l. 8. in f. C. de rescind. uend. l. 16. § 4. π. de Minoribus.* Conf. omnino Samuel de Cocc. *Ius controuersum ad Tit. de contrab. emptione.* Ex eadem ratione, rescindi non potest sententia post rem iudicatam, licet noua instru[m]enta sint reperta *l. 4. C. de re iudic. l. 27. in f. π. de except. rei iud. l. 35. π. de Iudic.* Nec transactio *l. 16. 19. 20. C. de Transf. ut litium aliquis sit finis. l. 10. C. eod.*

§. XIII.

Et quānquam supra § 12. monstrauimus, ius ciuile nihil aliud esse, quam ius naturale repetitum, tamen non per omnia iuri naturali seruit *l. 6. π. de Iust. & Iur.* quia nimis late est ius naturale (§. 11.) et non quisque propter adductas rationes, per hoc satis perfecteque obligari poterat, aliquid *additum* uel *detractum* est iuri uniuersali, naturali scilicet, et

*Iuri nat. ab
datur uel de-
trahitur ali-
quid per ius
civile.*

Gentium l. 6. π. iam cit. Et hac ratione ad statum ciuilem romanum accommodatum, ut et ius Publicum. Illust. Cocceius c. 1. prud. iuris publ. §. 3. 5. et seqq. et ius ciuale proprium effectum est. l. 6. 5
9. t. supra allegat.

§. XIII.

Additur uia modis. ADDITVM est iuri naturali (*per* §. 13.) aliquid, per ius ciuale l. 5. et 6. π. de Iust. et Iur. E. g. I. ratione TEMPORIS; uti fatale appellationis interponenda, quod hodie indifferenter est decendum. N. 23. c. 1. et Aut. Hodie autem, C. de Appell. In praescripti-
nibus tam actionum quam rerum, t. t. I. de Vscap. et tot. tit. π. de diuers. temp. praescript. In com-
putatione diei naturalis et Ciuilis, quorum ille ob-
seruatur in decendio appellationis, restitucionibus in
integrum, hic in materia praescriptionis l. 3. §. 3. π.
de minoribus l. 67, π. de Vsurpat. II. ratione LOCI;
quod ad forum et contractus et delicti attinet; Nam
reus sortitur forum in loco contractus, c. f. x. de
far. compet. l. 21. π. de O. et A. et rei sitae l. 1. et. f.
L. ubi in rem act. c. f. x. de for. compet. In loco
delicti l. 3. de Offic. praesid. l. 7. §. 4. l. f. de accus.
Iterum ratione citationis requiritur, ut fiat ad
loçum Iudicij illius Iudicis, qui habet iurisdictio-
nem, et ubi citandus est, intra citantis territo-
rium, per leg. fin. π. de Turisd. l. 9. Cod. de Iudiciis.
Extra territoriorum uero non citat, nisi prius iudice
requisito per litteras subsidiales. Gaii. l. 1. obs. 56.
III. ratione PERSONAE; huc pertinet totum ius
personarum, ex statu libertatis, ciuitatis uel Fami-
liae, scilicet tribus societatibus in politica nobis deri-
gatum. IV. ratione FORMAE; quod alia conuen-
tio

tio sit pura , alia non pura, haec rursus alium habeat effectum respectu conditionis , respectu modi , respectu diei . vid. Laut. *Coll. theor. pract. ad tit. de pact.* §. 86. et seqq. pariter quoque in contractibus uerbalibus siue stipulationibus , §. 1. *Inst. de Verbor. obligat. contractu chirographario* , Lauterbach. *ad tit. n. de Reb. credit.* in forma testamentorum praecipue externa , t. t. n. *qui testamenta facere possunt* , quorsum pertinet heredis institutio §. 34. *I. de legat.* In tit. de hered. Instit. heredis institutio I. exhaereditatio solennis , quae patri incumbit , §. fin. *Instit. de Exhered.* In beneficio inuentarii , forma quae respicit uel legitimam eius confectionem uel tempus , intra quod est conficiendum. Laut. *Coll. theor. pract. ad tit. de Iur. deliberandi* §. 12. V. ratione QVANTITATIS ; ut in donationibus. Nam donatio 500. solidos excedens , et actis non insinuata , non ualet , quoad excessum. In poenis ciuilibus priuatis , ratione simpli , dupli , tripli et quadruplici . Nec non in quantitate legata , quae non perit. I. 30. §. 31. n. *ad leg. Falcid.* VI. ratione SOLENTATY M; respectu formae , quae adhibetur in adoptionibus , emancipationibus , praecipue hodiernis legitimationibus per Comites palatinos , et quae sunt adhuc plura eiusdem generis fere innumerabilia. Spectant hoc etiam poenarum tam ciuilium quam criminalium ; modus et forma , quae iuri naturali per ius ciuale additae sunt ; veluti relegatio , fustigatio , gladius , suspendium , abscissio membra , stigma- ta , positio pro numellis , rota , ignis , suffocatio , et sic deinceps . De his , et antecedentibus omnibus , naturalis lex sicut.

§. XV.

*Detrabitur
aliquid nat.
legi.*

DETRAHITVR (*per §. 13.*) naturali legi aliquid, non ita quidem, ut naturalis lex immutetur sed limitetur tantum secundum utilitatem reipublicae. Strik. *annot. ad π. p. m. 15. sub uoc. detrabendo.* E.g. I. per seruitutem ciuilem, per quam aliquis dominio alieno contra naturam * subiicitur, §. 2. *Inst. de Iure pers.* Nam naturali iure, omnes homines aequales sunt, iure autem ciuili romano quadrupedibus annumerabantur *I. 1. π. ad L. Aquil.* imo nullum statum ciuilem habere credebantur, et sic pro nullis habentur *I. 32. π. de R. I.* II. In pactis nudis, quia de iure ciuili uim efficacem actionem producendi, non habent. *I. 7. pr. et §. 4. π. de pact.* *I. 10. 21. C. de Pact. I. 1.. C. de Pact. comment.* III. In restit: in integrum ob minorenitatem, uid. *t. t. π. de Minoribus 25. ann.* IV. In SCto Velleiano *I. 2. §. 1. π. b. t. et macedoniano.* *I. 1. 9. §. p. b. t. I. 40. de contradic. indeb.* Conf. omnino §. 9. *Diff. in f. §. 7. cit.* Nam legibus naturalibus, terminus minorenitatis ignoratur, et quilibet potest ualide contrahere, qui rationis usu non est destitutus, uel tantum rationis consecutus est, quantum ad pacta celebranda sufficit. Fieri potest, ut aliquis ante annum uicesimum uel uicesimum quintum, intellectus et rationis usu et facultate consentiendi polleat, adeoque ante tempus à lege ciuili romana uel saxonica determinatum maiorenitatis

* Vid. tamen §. 118. *Polit. Wolf.* Ob es recht ist, Menschen zu Sklaven zu machen. Hodie tamen barbara romanorum seruitus penitus inter christianos abrogata est. *Gudelin. de Iure nou.* *I. 1. c. 4.* *Groenew ad t. I. de Iur. Person.* *Stamm. lib. I. tit. I. c. 2.*

nitatis solus absque curatore ualide contrahere possit, quantum ad ius naturale attinet. Plura exempla allegare necesse non est, sufficient haec ad sententiam nostram confirmandam; praeципue dum in hac re otium nobis fecit *Rahel in Diff. Iur. nat. th. 141.*

§. XVI.

*Nulla lex
civillis dire-
cte contra
ius naturae
sanciri po-
test.*

Ius ciuile est ius naturale applicatum ad negotia et actiones ciuium (*per §. 12.*) sed cum ius naturale sit immutabile, *§. 11. Inst. de Iur. N. G. et C. et §. 25. philos. moral. Wolf.* ius naturale immutari non potest. Hinc ipsa lex ciuilis legi naturali directe repugnans, admittenda non est. In applicando uero iure naturali ad negotia et actiones ciuium facile fieri potest, ut plures et innumerae regulae concurrentes sibi inuicem contradictant, adeoque efficiant, ut admittenda sit exceptio. *§. 165. Met. Wolf. et not. 31. ad l. 5. π. de Iust. et iur. edit. Corp. Iur. nouiss. Lips. d. a 1720.* Omnino contingere potest, ut ius naturale idque uniuersale aliquam limitationem patiatur in rebus publicis. *§. 166. Met. alleg.* Sed cum ob limitationem alicuius rei, ipsa res non intereat; ipsum ius naturale ob eiusmodi limitationes, ex statu reipublicae oriendas, non tollitur. Nam nec in ullo iure positivo non datur regula adeo generalis, quae non suam patiatur exceptionem, inde tamen exceptio non tollit regulam, sed uti *ICti uocant* magis firmat eam in casibus non exceptis. *l. 12. §. 43. π. de Instruct. et instrum. legat. ibique Bartolus.* Praeterea notum est aliunde, leges naturales ipsas dictare exceptiones in casibus, ubi plures leges particulares concurrentes sibi inuicem contradictunt. Leges proinde naturales inculcant ipsae eiusmodi limitationes,

nes, quae adeo ipsi iuri naturali repugnare non possunt. Et quanquam leges ciuiles minus sese extendant ad omnia, quae legibus naturalibus conueniunt, proinde multa ciuum conscientiae, pudori et religioni relinquuntur, ubi ea praecipuae sunt, quae in honestate consistunt, qualis u.g. est obligatio ad remunerandum in L. 25. §. II. π. de haeredit. petit. eam tamen ob causam lex ciuilis legem naturalem tollete censenda non est. Si instituta ciuilia ea prohiberent, quae iure naturali praecepta sunt, et si praeciperent, quae eodem iure prohiberentur, fatendum omnino esset, eiusmodi leges ciuiles contra ius naturale sanctitas, ideoque irrationalibes et iniquas esse.

§. XVII.

*Transgref-
fio prima.* Hactenus egimus de iure, et unde primario originem suam trahat, nunc autem etiam introspicamus, quid sit iurisconsultus, *ui* §. I.
*Quid sit IC-
tus.*

IVRISCONSVLTVS * autem est, qui scientia et habitu pollet, leges rite explicatas ad facta in uita humana obuenientia applicandi.

§. XVIII.

*Nec iuris
scientia s.
peritia, nec
iuris pru-
dentia, ab
ICto sepa-
rari potest.* IVRIS SCIENTIA uel IVRIS PERITIA est habitus leges explicandi. Leges sunt uel diuinae uel humanae, et illae l. naturales l. positivae, humanae publicae l. priuatae siue ciuiles. Ad omnes hasce legum

* Hinc de iure consuluntur, et facultate de iure respondendi pollent. Cic. 2. de Orat. l. 17. §. I. π. si seruit. vindic. §. 8. Inst. de J. N. G. et C. quorum omnium sententiae et opiniones eam auctoritatem tenebant, ut iudici recedere a responsis eorum non licet, ut ait Imperat. in §. alleg. Et leges praescribunt: l. I. π. de LL.

legum species iuris peritia et iurisconsultatio se extendit. **IURIS PRUDENTIA** * autem est facultas, ius ad actiones in ciuili societate obuenientes, iusta interpretatione accommodandi. Hacque ratione ICtus non tantum scientiam uel peritiam iuris, sed etiam prudentiam habeat necesse est. **IURIS CONSULTVS CIVILIS** est is, qui pollet habitu leges ciuiles rite explicatas ad facta in uita ciuili et priuata obuenientia applicandi.

§. XIX.

Iurisconsultus et interpres legum, non tam ad uerba legis, sed potius ad uim et potestatem respicit. *l. 17. n. de LL.* Ille autem, qui leges, quas memoria tenet, non intelligit, **LEGULEVS** uocatur Ciceroni *l. 1. de orat. c. 55.* Qui nulla accuratiore iuris notitia imbutus, neque prudentia leges interpretandi, uel ad similes casus applicandi et extendi in passibus conuenientibus praeditus, sola iuris praecepta in forum propellit, fatis superque sibi saepre uisus, si casum in iure expressum allegat, licet ob circumstantias ad factum non quadret praesens. **RABVLISTA** uocatur eidem Ciceroni *ib. c. 55.* Conf. Forstner. *in Tacit. Bynckershoek. praef. ad obseruat.*

C *juris*

* Secundum sententiam ueterum ICtorum autem; iurisprudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia *§. 1. Inst. de Iust. et Iur. l. 10. §. 1. n. b. t.* Verba initialia huius definitionis erant alias uerba definitionis philosophiae propria. His uerbis autem eam ob causam Iconsulti usi, quia illis perpetua etat aemulatio atque coniunctio cum philosophis, quapropter, *ueram, non simulatam philosophiam affectamus*, ait Vlpianus, *in l. 1. §. 1. n. de Iust. et Iur.*

*Quid sunt
leguleius et
rabvlista.*

Iur. Rom. et Boileau in Satyris Burmann. orat. in humanitatis studia. et eorum characterem concinne pariter ac erudite pro more suo explicuit Ziegler *in tr. de Art. Rabulistica*, de quo genere hominum secundum Tertullianum *de pall. cap. 5.* uere praedicandum est, quod plus togae laeserint rempublicam quam loricae.

§. XX.

*Officium
Iuguli.*

Iurisconsultus autem qui ad propositas quaestiones commode respondere uult, non tam uerba legis, sed uim ac potestatem illorum intelligere debet, *l. 17. v. de LL.* simulque illa bene interpretata ad factum obuium applicare, nec minus eius partium est, leges praescribere (*uid. not. ad S. 17.*); quanquam is directe leges praescribere non potest, ut ciues uel parentes ex illis obligentur, praescribit tamen commune praeceptum, *LL. naturae et aequitati conforme*, *l. 1. v. de LL.* quod est notitia aequi et boni a natura omnibus indita, *not. 16. L. iam eit. Edit. Corp. Iur. nouiss. Lips. a. 1720.* Quod commune praeceptum, postea ab Imperatore, seu legislatore, tanquam lex civilis sancitur. Ut etiam Digesta ex talibus legibus seu responsis iurisconsultorum, iussu Imperatoris, *conf. Tanta de conf. v. §. 10. et 19. anno 533.* promulgata sunt.

§. XXI.

Altera transgressio. Nunc autem etiam paucis demonstrabimus, quid sit philosophus.

Quid sit pbi. leopodus. PHILOSOPHVS est, qui scientiam habet, ad intropisciendum omnia possibilia, quatenus sunt possibilia.

§. XXII.

§. XXII.

SCIENTIA est habitus mentis deducendi conclusiones ex principiis indubitatis idque nexus concatenato, seu syllogistico.

§. XXIII.

I. POSSIBILE sumitur pro omni eo, quod fieri potest, siue actualiter existat, siue non.

II. POSSIBILE est, quod nullam inuoluit contradictionem.

§. XXIV.

Contradiccio est simultanea unius eiusdemque rei affirmatio et negatio. Haec contradiccio dicitur etiam ABSVRDVM.

§. XXV.

Ergo philosophus est is, qui habitu mentis praeditus deducere conclusiones ex principiis indubitatis potest idque nexus concatenato (*per §. 22.*) et ui harum conclusionum introspicere, quid fieri seu existere possit (*§. 23.*) siue quod non fieri possit, et ita absurdum sit. (*§. 24.*)

§. XXVI.

Ergo philosophus dijudicare et introspicere potest, an homo alterum laedere et utrum laesio in contractu committi possit, *§. 23. II. et §. 24.* An delicta, aut quatenus punita vel impunita esse debeant. An decalogus inuersus, ius naturale inuersum, et arithmetica inuersa possit inueniri. Et sic deinceps, utrum leges a superiore contra ius naturale possint sancti, nec ne.

§. XXVII.

Prima transgressio. per §. 1. quanam ratione Ictus sine philosophia consistere non possit , aut quo modo , nemo possit , esse bonus seu scitus Ictus , qui non sit philosophus.

Ictus philos. magis intelligit iurisprud. rom. quam leguleius et rabula. Iam supra §. 12. 13. 14. et 15. demonstrauimus , jus ciuale esse ius naturae applicatum ad negotia ciuum , qua talium. Fontes itaque iuris ciuilis sunt ius naturae et status reipublicae , ex utroque occasio legislatoris cognoscenda est. Quicunque fontes ipsos , ex quibus leges ciuiles deriuatae sunt , et quanam ratione illae compositae sint , uno uerbo , modum geneseos , intelligit , et ita cognitionem philosophicam de LL. habet , magis perceptam habet iurisprudentiam quamcunque ciuilem , prae illo , qui tantummodo cognitione historica (§. 19.) illius rei imbutus est. Ictus ergo , qui fontes iuris romani et modum geneseos non intelligit , non aequa introspicit iurisprudentiam ciuilem , quam ICtus philosophus. Haec intelligentia efficit , ut iure consultus rationem legis perspiciat , ultra quam illius applicatio non est extendenda , et ob cuius similitudinem seu identitatem alii casus , in legibus non expressi resolui possunt. Sed hoc nemini leguleiorum ac rabularum (§. 19.) contingit.

§. XXVIII.

Ictus instruatus esse debet dexteritate explicandi propos. Et bac ratione philos. esse debet. Ictus nosse debet methodum explicandi leges (§. 17. et 18.) Leges sunt normae et ex consequentibus propositiones. Hinc iureconsultus instructus esse debet dexteritate explicandi propositiones. Explicatio propositionum praesupponit notiones distinctas

stinctas subiecti et praedicati, eorumque determinationem, si quae adfuerint. Quem laborem sibi vindicat logica, quae disciplina philosophiae est.
Vnde patet iustum debere esse philosophum.

§. XXIX.

Iure-consultus scire debet applicare leges bene intellectas et explicatas ad facta obuenientia (§. 17. et 18.) In eiusmodi applicatione deprehendimus ratiocinium, cuius minor est factum, maior uero ipsa lex, quae in conclusione facto attemperatur. Hinc iuris prudentia exquirit habitum ratiocinandi, qui ab usu logicae pendet. *Vnde noua uice patet, Iureconsultum oportere esse logicum ac proinde philosophum.*

*In ICto re-
quiritur ba-
bitus ratio-
cinandi, et
ideo oportet
esse philoso-
pum.*

§. XXX.

In factis eruendis recurrentum saepius est ad doctrinam probabilium, unde descendunt praesumtiones, quae in iure ciuili dicuntur tam iuris tantum, quam iuris et de iure, de quibus integros conscripserunt tractatus Menoch et Mascardus, quam sibi vindicat logica et ex consequenti philosophia. Si quis porro partes consulti iuris uel ciuilis uel publici uel aliis positui explere uelit, interpretrem eiusmodi iurium agere tenetur. Hinc ars interpretandi iureconsulto in eiusmodi casibus probe cognita et perspecta esse debet. Quae cum ad logicam et consequenter ad philosophiam respiciat; *philosophiae necessitas in iurisprudentia denuo patescit.*

*Demonstra-
tur et in
hoc, et seqq.
§§. nem-
nem posse
ICtum esse,
qui non fit
philosophus.
I.*

§. XXXI.

Ius in rebus publicis est reuera nihil aliud nisi ius naturale applicatum ad negotia et actiones hominum in rebus publicis uiuentium. Id quod lo-

II.

cum habet in omnibus speciebus legum , in publica
re obuenientium. Hinc et ipsum ius ciuile est ius
naturale applicatum ad actiones ciuium , qua talium
(§. 12.) Nec minus ius publicum est ius naturale
applicatum ad negotia publica , quae ipsam rempub-
licam immediate attingunt. (13.inf.) et l.1. §.2. *w. de*
Iust. et Iur. Iuris proinde et priuati et publici perito
politcam , seu doctrinam non tantum reipublicae ,
formas diuersas cognoscendi , sed etiam iuris - natu-
rae et gentium sistema probe inspiciendum uenit.
Sed utraque tractatio ad philosophiam spectat. Vnde
iterata uice patet , sapientiae studium à cultu iuris-
prudentiae solidioris separari non posse. Et cum iure
consulti sit , examinare controuersias homi-
num , quae occasionem praebuere iuri naturae
externo , quod sollicite est discernendum à iure na-
turae interno , cuius custodia cuiusuis conscientiae
relinquitur ; in iure naturae externo tractando ita uer-
sari debet iure consultus , ut officia stricta , quae coactio-
nem patientur , ab officiis decori seu amoris , extor-
sionis nescii , separet accuratius et distinguat. Hac
ratione iure consultus tota philosophia practica in-
digere non poterit , quae cum haud exiguam par-
tem philosophiae primae , et totam psychologiam
empiricam depositat ; in campum metaphysicae ,
disciplinas , quas tetigimus , continentis , eidem de-
scendendum erit. Nouam itaque cernimus cauſam ;
quae uehementius commouere potest *iuris pruden-*
tiae solidae cultorem ad philosophiae pracepta uberioris
inspicienda.

§. XXXII.

III. Haud pauci iuris consulti magni nominis afferunt,
colendum esse ius priuatum non minus , quam pub-
licum

licum uniuersale , id quod praecipue Ulrici Huberi Ius Ciuitatis, Boehmeri Ius publicum uniuersale et Ius priuatum uniuersale, in iure naturae eximii Griebneri delineatum eunicunt. Quae disciplinae cum Iuris naturae partes sint , inde nouam nanciscimur rationem , cur iuris prudentiae non fucatae cultori studium philosophicum apprime necessarium sit.

§. XXXII.

Si conferamus definitiones iure consulti , qui iuris peritus est / §. 17. et 18.) item leguleii et rabulae, prior à duobus (§. 19.) reliquis soliditate distinguitur. Iam cum solide doctus disciplinas suas in sistema redigat ; inreconsultus de formando iuris sistema sollicitus est. *Systema* est complexus plurium ueritatum inter se connexarum ; iureconsultus ergo de nexu disciplinae concatenato cogitat. Is proinde methodo utitur systematica , qua conclusiones et asserta cohaesionem indiuulsam nanciscantur cum principiis. Quam methodum , quae uel synthetica uel analytic a est , cum adhibeat philosophus ; ipsa methodus philosophica , quae a mathematica non differt , iureconsultum a leguleo et rabula distinguit. De quo aliquis eo minus dubitabit , quo magis notum est , methodum philosophicam et mathematicam esse rationis propriam et cuius disciplinae applicari aptam , quae rationi peruia est. Quae omnia denuo nos de necessitate philosophiae in cultu iurisprudentiae conuincunt.

§. XXXIII.

Ponas aliquem , qui in tractanda iuris disciplina de iure naturae externo , cuius / §. 31.) mentionem fecimus , propius indagando non sollicitus fuit , is non

non concipit, quid sit laesio perfecta, et cur multae laesiones perfectis non annumerentur. Et licet in corpore iuris ciuilis laesiones perfectae multae determinentur, nullam tamen concipiet rationem, cur aliae uiolationes officiorum erga se et erga alios non determinatae et notatae in Iure ciuili tanquam perfectae, non aequa dicantur laesiones et iniuria. Talis saepius aliquam actionem aestimabit pro iniuria seu laesione, quae talis non est, quin imo is etiam saepius leges ciuiles accusabit iniquitatis, quae plures actiones, dictaminis rationis aduersantes impunitas relinquat. Sed si quis ductu iuris naturalis cognoverit, nullam actionem reputandam esse pro laesione, quam qua officia necessitatis, quae rō suum cuique inculcat, uiolantur, nihilque pertinere ad suum, quam illud, quod uel natura uel ope artis seu pactorum nobis contingit; facilius perspiciet, quaenam in foro externo uerae laesiones sint, præcipue si tunc iuris ciuilis dogmata ex iure naturae deducta et ad statum applicata coniungeret, sine qua coniunctione et peritissimus et acuratissimus philosophandi artis peritus, in iuris prudentia ciuili, tanquam arte practica claudicat.

§. XXXV.

VI. Neque is, qui philosophia destitutus est, facile concipiet, cur in republica multa officia commoditatis et decori in officia necessitatis abeant. Id quod ex indole alicuius reipublicae, in politica, quae philosophiae disciplina est euoluenda, condisci potest, in quo tamen addiscendo, ut uerum fatear, non tantum sufficiunt nuda præcepta philosophiae theoretica, sed multum, imo plurimum tribuendum culturae et experientiae, quae theoriam firmat.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Icti est, ut in factum, quod circa diuinis uel humanas res uersatur, inquirat (§. 18.) Inquisitio autem de facto a philosophia dependet (§. 30.) Si itaque Ictus factum auxilio logicae exacte perscrutatus fuerit, leges deinde, quas itidem scire debet, dextre applicabit. Alias male applicatur ius etiam, ut ait Imperator, à peritissimo. *I. 2. n. de Iur. et fact. ignorantia.*

*Cognitio facti
et dependet
a philosophia.*

§. XXXVII.

Caeterum quisnam potest esse exactissimus Ictus, qui non sit philosophus, et leges ciuiles, quae enatae sunt ex praeceptis naturalibus (*per s. 12. et seqq.*) *arg. L. p. 35. de R. I. ex solidis interpretationis regulis, soluere,* et earum, ueram ac genuinam uim ac potestatem introspicere potest. *I. 17. n. de LL.* Quisnam potest introspicere et intelligere interpretationem doctrinalem, et ut huius rationem legis extendere et restingere, qui non exactissime intuetur sensum legis ac legislatoris uoluntatem? Quisnam porro potest esse Ictus, qui non possit ex lege naturali diiudicare, utrum obseruantia aliqua irrationalis sit *cap. f. x. de Confuc. cap. ma- la conf. dist. 8.* praecipue si ius naturale etiam pro iure diuino accipiatur? ut in Schilt. *Inst. iur. Can. I. 1. c. 2. §. 1.* Lauterb. *Colleg. Theor. Pract. Tit. de LL. §. 46. §. 29. philos. moral. VVolf. et alibi.* Non aliunde, quam ex philosophia edificimus, quid sit possibile uel non (§. 23.) adeoquè nemo potest introspicere praeter philosophum, ad quid obligemur uel non, quum impossibilium nulla obligatio sit. *I. 185. n. de R. I. et c. nemo. 6. de R. I. in 6. Ziegler. de I. M. I. 1. c. 5. §. 73. seq.* et quaenam conditio pro non scripta habeat.

*Demonstra-
tur plurimis
casibus, ne-
minem posse
Ictum esse.
qui non fit
philosophus.*

D

habea-

habeatur, ut in §. 10. *Inst. de Hered. Instit.* Supra §. 13. 14. et 15. monstrauimus, iuri naturali aliquid aliquid additum uel detractum esse; per ius ciuile. Qui itaque philosophiam practicam non intelligit, nec intelligit, num lex aliqua plane sit naturalis, ani mixta, naturalis et ciuilis simili, et utrum illud additamentum ciuile, quod ex singulari statu romano iure naturali annexum est; ad statum nostrum applicari possit; et temporibus nostris conueniat nec ne, adeoque de usu hodierno talis Iustus plane nihil dicere potest. Quisnam recte adaequatque maxime moderaminis inculpatae tutelae in Ordinat. Crim. tanquam lege Imperii pragmatica, Art. 140. 141. et 142. et seqq. propositam definitionem interpretari poterit, qui praeter iuris scientiam philosophandi artem exactissime non teneat? Quid dicam de poenis secundum qualitatem facti et ejus circumstantias, imponendis, ad quarum impositionem pertinet proportionalitas arithmeticæ, ad earum uero investigationem proportionalitas geometrica, secundum sententiam DD. certe Iustus uix iustitiae obseruabit regulas, qui nescit, proportionalitatem adhibere, tota autem proportionalitas tam geometricæ quam arithmeticæ ratio a mathesi dependet, quæ philosophiac pars est. vid. Cocc. in iure controvers. tit. de Inst. et Iur. Quæst. 2. Sunct adhuc plures ac innumerabiles casus, uerum ha enumerati, ad sententiam meam probandam sufficiant.

§. XXXVIII.

*Prins con.
firmatur ex
nec.*

Imperator in l. 12. n. de LL. ait. Non possunt omnes articuli singularem aut legibus, aut senatus consultis, comprehendendi: sed cum in aliqua causa sententia

tia eorum manifesta, is, qui iurisdictioni praeeft, ad similia procedere atque ita ius dicere debet. In hac lege Imperator indicat, si in aliqua caussa, sententia manifesta sit, ad alias causas obuenientes similes, per argumentum legis, procedendum esse licet, et hac ratione, ubi sit eadem legis ratio, eandem esse legis dispositionem. *l. 32. n. Ad leg. Aquil.* Ad diiudicationem autem casuum similium, ut nimis quis introspicere possit, utrum praesens casus, casui alteri in omnibus sit similis; et utrum illa lex cum hac actione exacte conueniat nec ne philosophia requiritur, atque hoc philosophi est, omnia rationi conuenientia scire et expendere.

§. XXXIX.

Porro monstrauimus in §. 15. legi naturali detrahī aliquid. Sed ne detrahendo nimis inuertatur tuel plane immutetur, adeoque lex ciuilis plane, contra §. 16. legi naturali contraria fanciatur, sollicitate caueri debet. Qui autem philosophandi scientiam non tenet, adeoque legem naturalem non intelligit, neque diiudicare potest; utrum lex ciuilis legi naturali sit contraria, neque utrum detrahendo nimis detrahatur illi legi, nec ne. Adeoque etiam hanc ob caussam, nemo potest esse ICtus, qui non sit philosophus.

§. XXXX.

ICtus etiam, ut in not. §. 17. in f. et §. 20. leges praescribit seu concipit, postea iussu summil imperantis promulgantur (§. 20.) Leges autem ciuiles debent esse leges naturales repetitae et ad statum republicae accommodatae (§. 12.) seu leges ciuiles non possunt esse legi naturali contrariae (per §. 16.) Eam ob cau-

Porro de-
monstrare

Qui non est
philosophus
leges praec-
scribere non
potest, neque
intelligere
utrum praec-
scriptae ab-
surdæ sint.

neque ut-
ram tol-
randae nec
se.

sam ille, qui leges ciuiles praeferibere debet, ante omnia necesse est, leges naturales intelligat, alias non introspicit, utrum leges praescriptae legi naturali repugnant, nec ne. Haec repugnantia, inuoluit contradictionem, illud autem, cuius oppositum inuoluit contradictionem, est impossibile (§. 23.) possibilitem et impossibilitem introspicit philosophus (§. 21.) ergo ICtus philosophus intelligit, utrum leges praescriptae absurdæ sint, nec ne per §. 24. et 25. Priori casu leges non sunt tolerandæ, recte tamen posteriore, et sic rursus euincitur, solum ICtum philosophum cognoscere, utrum leges sint approbandæ, nec ne.

§. XXXI.

Casus in iure
non deter-
minati,
ex iure na-
turali, mini-
me autem in
foris fran-
conicis ex
Carpzouio
et aliis D.D.
decidendi.

Postremo paucis adhuc uerbis addimus, eam ob causam etiam necesse esse, ut ICtus sit philosophus, quum non omnes causæ, quae in foris obuenire possunt, in iure romano determinatae sint, l. 3. 4. 5. 6. 10. 11. 12. et 13. π. de LL. neque facile alio quodam ex iure, provinciali uel statutario erui eas posse. Hoc itaque deficiente, casus obuenientes, a ICto philosopho, ex dictamine rectae rationis (§. 6.) ceu ex primo fonte et origine, unde omnia illa iure enata sunt, (§. 12.) decidendi sunt. Hac ratione, si leges uniuersales, ueluti recessus imperii, uel leges particulares, ut leges prouinciales, municipales seu statutariae, et leges subsidiaries, i. e. leges iuris romanij, non adsint, ex primo fonte, aqua est haurienda, neque in foris, ad Carpzouium, qui ius speciale saxonum conscripsit, neque ad alios Doctores, quia compilatores seu commentatores aliorum iurium particularium sunt, recurrendum est.

§. XXXII.

§. XXXII.

Hactenus paucissimis uerbis a priori demonstra-
uimus , qua ratione nemo posit esse ICtus qui
non sit philosophus. Nunc etiam tribus tantum,
ut loquimur, uerbis significabimus, quo modo hoc
etiam a posteriori elucesat. Prouoco ad ueteres illos
ICtos ; quorum maxima pars stoicae philosophiae
addicta fuerat , uid. Em. Merill Obs. l. i. cap. i. seq.
V. C. Eueradi. Ottonis Orat. de philos. stoica uet. IC-
tor. et ex quorum responsis digesta compilata sunt,
haud leuem in philosophia operam posuerunt. Unde
etiam Ulpianus in l. i. §. i. π. de Iust. et Iur. ait. ue-
ram, non simulatam philosophiam affectamus.

Demonstra-
tor a posse-
riori.

Papinianus ille magnus Ictus , qui incompara-
bile et diuinum mentis lumen uocatur ab Excellentissimo Sleuoglio in Prolusione de Philos. Papiniani p.
m. 166. quam Gottl Sleuogt. Dr. aliis progr. iunxit,
lenae 1724. edidit , philosophia stoica haud leuiter
tinctus , et ueri falsique inueniendi arte instructus
erat. Inter nouioris aeui Iureconsultos grande illud
decus iurisprudentiae, Cuiacius , nec non Hotomannus , Galli , per antiquitatis inuestigationem et
doctissimas interpretationes iurisprudentiae adhibitas
sui seculi tenebras discusserunt , et Tribonianis
salebras, ut ipse Hotomannus uocare solebat , pru-
denti interpretatione et inuestigatione plerasque
fustulit. Nec praetereunda sunt famigeratissima Ic-
torum nomina , Brunnemannus , qui per tres annos
Francofurti Logicam est professus , Meuii , Icti Gry-
phiswaldensis incomparabilis , de quo Hetvichius
eiusdem Academiae D. et Prof. Medicinae in pro-
grammate apud Wittenium in memoriis Ictorum ita.

in Ictorum nostri seculi facile principe Meuio quidquid in stoica sapientia, christiana pietate et priscorum Ictorum ingeniiis miramur tanquam in promtuario quodam conclusum et a DEO in publicos usus reconditum fuisse nouimus. Nostri Seculi et mundi, inter Ictos micantia lumina Thomasium, Gundlingium, Bachemerum, qui Iurisprudentiam cum philosophia felicissime coniunixerunt, adduxisse saltem sufficiat, quorum immortalia scripta omnium praeconiorum laudes superant. Et haec sunt B. L. quae pro temporis spatio, et specimine academico in hac materia tanquam prima saltem rudimenta ategisse pro virium mearum modulo animus fuit, si quid labori nostro aut meditationibus deesse aut liberius me sensisse TIBI uidebitur, id pro copia abundantis ingenii supplebis et in meliorem partem interpretaberis, qua spe fiduciaria fretus comprehendam dissertationis meae inaugralis claudio.

